

IOANNES LONICERVS MARPVRGENSIS PROFESSOR.



Ioannes Germanus à pueris operam literis dedit, atq; primis principijs cognitis hinc inde ingenij excolēdi causa se se ad doctorum hominum gymnasia contulit. In ijs magna diligentia Græcæ ac Latinę linguæ incubuit, atq; hisce Philosophię studia coniunxit. Itaq; factum ut suis uigilijs in uirum doctissimum euaserit. Postea Marpurgum uenit, atq; in ea Academia Græcæ linguæ professor constitutus fuit. Eam professionem is magna laude per multos annos obiuit, & optimos quoque authores magna studiosorum applausu enarravit. Hunc ueneranda canitie insignem (cum forte in Martio anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Marpurgi apud principem essem) prælegentem audiui, & eius industriam admiratus fui.